



XXVII



A1

IN FVNERE

R. Adm. Patris Magistri

FRANCISCI VECCHII

A SENIS, PISANI


Ordinis Erem. S. Augustini,

ORATIO


A. R. P. M. FRATRE FAELICE CIATTO PERVSINO Inter somnolentos Accad. Sopito, Ordinis Min. Conuent. S. Francisci, Pisis Regente, in Ecclesia S. Nicolai habita, septimo Idus Iulij. M. DC XXIIII.

ET PER FRATREM IO: IACOBVM BONACCHELIVM Pisanum, S. Theol. Baccal. eiusdem Erem. Ordinis alumnum typis data.










PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M.DC.XXIIII, *Superiorum Permissu.*

Ad. m. R. P. Hieronymo à Sumnais.



Illustriss. Reuerendissimoq; Dom.

D. IVLIANO MEDICES PISARVM ARCHIEPISCOPO

Dignissimo, Insularum Corsicæ, & Sardiniæ, Primati, & in eis Legato nato &c.

FR. IO: IACOBVS BONACCHELLIVS PISANVS S. Theol. Baccalaureus, Ord. Eremitarum S. Augustini. P. F. P.






ALEM, ac tantum, ex peracerbo R. P. Magistri Francisci Vecchij à Senis, Pisani interitu, cepi dolorem (Illustriss. me Præsul) quòd me penè confecerit: at quia Dei ipsius consilia reprahendi neq; possunt, neq; debent, Diuinæ adhærere voluntati, & humana, quæ nullo Consilio vitari possunt, humaniter ferre necesse est: vtq; cui multùm debeo, eidem plurimùm velle

debere videar, Orationem hanc, in extrema ipsius die, habitam, sub Illustrißima Amplitudinis tuæ nomine, typis dare volui; vt meam, & ipsius prædefuncti erga te deuotionē, obseruantiam, atq; venerationem apud omnium hominum animos, hac (qualiscumq; sit) significatione, testatam relinquerem; & vt mihi, vniuersæq; Pisarum Ciuitati, ex eius obitu in lachrymis iacenti, si non liniret, saltem non augeret dolorem: quod animi propositum, pro tua erga eum humanitate; tibi, perpetua animi ingenuitate, admaxima nato, non iniucundū, spero, fore. Interim meæ partes erunt, quod superest æui, ad AEthera oratorem agere, vt optatis tuis in omnibus semper respondeant, teq; diutissimè incolumem seruent, beatissimumq; hîc, & in Cælis efficiant. Pisis 13. Kal. Augusti. 1624.


Illustrissimæ Dom. tuæ

Humillimus Seruus

Fr. Io: Iacobus Pisanus August.



ORATIO



I quantùm generosos, & propter crebras prœliorũ cõtentiones, ferocitantes equos tubarum clangor, ac Lituorum stridor ad pugnam incitare solet: tantùm apud vos (Religiosissimi Patres, ac Ornatissimi Auditores quotquot adestis) tantùm, inquam, apud vos rationis compotes, & à ferarum immanitate alienos, nõ minùs infęcundi, quàm infacundi Oratoris sermo valeret; sperarem fore, vt non solùm mea à vobis, hodierna luce, libenter exciperetur Oratio, verùm etiam pro R. P. M. Francisci de Vecchijs Pisani, Ciuis Senensis, atq; Cęnobij huius hucusq; Moderatoris optimi, peracerbo, & non magis vniuersæ Augustinianę familię, quam Pisis, Senisq; ipsiq; ferè dicam, Orbi Christiano, luctuoso interitu, omnium vestrũ animi in mærores, corda in suspiria, in singultus ora, in lachrymas oculi præpararentur, profunderentur, dissoluerentur. Verùm cum probè norim, me nec parem Francisco Vecchio laudatorem extare, nec voce vnius semihorulæ spatio ea, quæ ipse longo sex, & quadraginta annorum cursu peregit, perstringere posse; Vos, quibus adhuc recens est Tanti Patris in Animis monimentum, anteactæ ipsius Vitę laudes recensendo, perennem adhuc eius memoriam seruetis, hortabor. At licet iàm omnia magna, omnia pręclara, omnia illustria de P. M. Francisco animo cõceperim, Verba tamen, in ipso quasi Orationis vestibulo, deesse sentio; & moliri potius, quàm aliquid tanto Viro, quem desideramus; tanto consessu, quem intueor; amplissimo loco, in quo nihil non elaboratum audiri potest, dignum afferre posse videor: hinc

6

potius à Veritate aberrare iuuaret, si cum Pytagoricis Animarum, de corpore in corpus, transmigrationem cognoscens, pro tanto Patre cōmendando, ipsius Animā in corpus meum hac hora transmeasse desiderassem; vt qui dignè à nemine laudari potest, ipse saltem sibimet laudator existeret; & qui nunc probè nosco quàm exigua mea sit copia, quàm exilis, ac obsoleta dicendi vis, vel inter cęteros tacerem, vel nō meis, sed Francisci Vecchij animi viribus fisus, de ipsius Vita, Doctrina, meritis dignus laudator apparerem. Apparebo tandem: Verū ea in prouincia obeunda, illud potissimum mihi propositum habeo, vt satietatem vestram refugiam, cuius rei caussa consultò ea communiora, quæ & ipsi satis probè nostis, prætermittam.

Tantùm dicam, Senis Franciscum nostrum primas Vitæ auras ex perillustri, ac nobilissima Vecchiorum Familia prælibasse; Cuius quidem generis Nobilitas, ac vetus Origo, nec meum, nec cuiusquam profectò desiderat testimonium, cum ne solùm Senarum Vrbi Hæroum Matri, ac altrici, Verùm, & Vniuersæ fere Ethruriæ satis constet, nunquam in ea domo Viros illustres, & tùm militari, ac equestri laude, tùm rei litterariæ præstantia insignes non floruisse. Testis ipsa Senarum Vrbs, cuius amplissimus Senatus ex eius Familię Viris, Domi, forisq; Pacis, Belliq; tempore ad quoscunq; gradus, ac honores nescio, an Vecchios extulerit, vel per Vecchios honores ipsos efferre curauerit. Testes, & Italiæ Principes, ac Proceres, quorum in Aulis (nec tamen infimo loco) Vecchia Familia suos filios conspexit. Testis demum, & ipse in latio Dux, & Princeps, Vrsinorum decus, nec minùs Vrbis, quam Orbis iubar, Paulus Iordanus Bracchiani Regulus, apùd cuius populos, & Subditos, Caussarū Generalis Auditor, hac nostra tempestate, Robertus Vecchius Francisci nostri Frater dilectissimus extat. Quid plura? Quod ex ea familia, tamquàm ex equo Troiano, nonnisi illustres Viri prodierint, in nostro Frāncisco conspiciatur, cuius quidem Animus, tamquàm te-

nuis

nuis agellus, cui alendo primùm Parentum sollicitudo, Heremitarum deindè Familia plurimū instrumentorū suppeditauit, ab ineunte ætate mirabiles prouentus sibi, Familiæ, Patriæ, Religioni, toti deniq; Italiæ afferre cœpit. Siquidem petulantium Iuuenum consuetudine relicta, rerumq; humanarum imbecillitate planè cognita, ex pagano sæculi, in D. Augustini Xænodochio Senis adhuc Adolescens, Christi miles efficitur. Inibi maiorū vestigijs insistens, ità in litteris, ac bonis moribus proficiebat, vt nihil eo perfectiùs, nihil omnibus numeris absolutiùs: Etenim non solùm ad Dialecticam animum appulit, sed cum illa Ortographiam, Rethoricen, ac poesim cōiungendas putauit, in quarum Artium singulis ita versabatur, vt breui omnibus antecelleret; atq; post eas facultates ita naturalium, Diuinarumq; rerum contemplatione delectabatur, vt meritò pro earum cognitione, virenti adhuc ætate, his omnibus honoribus, quos ipsa Religio haud in immeritos elárgiri est solita, potitis, Romam, ad Methaphisicam in publico Liceo palam edocendam, àccersiretur: in cuius tractatione, non modò concitatam de Virtute sua expectationem substituit, verùm etiam superauit; cum omninò summum, & humano captum maius videretur, quod ille tàm citò, tàm iuuenili ætate, tàm breui tempore consecutus esset, quod extrema senectute vix cuiquam liceat optare. Aliquibus annis eo in munere peractis, Ianuam mittitur; ibi in Florentissimo eius familiæ Cænobio, ad sacræ Theosophiæ arcana reseranda, Regentis titulo gradum fecit; & in ea facultate pertractanda, cum priùs alios vicisset, eo tempore seipsum superare videbatur.

Vereor, ne in mendacij suspicionem non nullis venire videar, si, quod res est, in medium affero; à qua tamen suspicione spero fore, vt qui aut Francisci Vecchij ingenium cognitum habuerunt, aut meos mores penitus norunt, omninò me liberent: Etenim, neque vllo sum ab eo beneficio affectus, nec notitiæ (ne dicam familiaritatis) necessitudine cum ipso deuinctus vmquam fui

(nisi

(nisi in quantum Virtus animos allicit,& Virtutum eius fama potius,quam experimentum animũ meum amore allexit) vt propterea plus officio,quam Veritati tribuere debeam; ille verò tanta ingenij acie, tanta doctrina præditus fuit, vt omnes, qui pari laude in Theologicis tractationibus tunc Ianuæ florerent, vel ipsis Iudicibus, superaret; Hinc non secùs ac Ciuitas illa angustum præberet Magistri Francisci Doctrinę Theatrum, post triennium Ianua, Florentiam,ad eamdem facultatem profitendam,mittitur; exinde quatuor elapsis annis, Bononiã accersitur,vbi tàm de se prçclarum, tàm de sua doctrina illustre eo in munere edidit testimonium, vt illius Religionis Præsules Romam Franciscum destinarint,vt q ę Vrbs Orbis caput,& Christi Vicarij sedes est, Augustinianæ etiam familię in omni disciplinarũ genere Caput, sedem ac Principem per sexennium nõ modò intueretur, verùm etiam miraretur. Epaminondam olim,cum priuatus militaret, Thebanorum Ducem,delectũ esse accepimus, quẽ ipsius merita, ac res præclarè gestæ ad summum honoris culmen prouehebant: Sic Franciscum Vecchium, quamuis nihil sibi peteret, neq; ambitione moueretur, honores tamen, velùt vmbra corpus, consequebantur; non temerè,non casù, non fortuitò, nõ aliorum ope, nõ proprijs opibus eam Romæ cathedrã Vecchius sibi vendicauit; pleno, pleno Theatro spectatissima fuit Francisci Virtus. Nec expectetis hoc in genere multas vobis, gloriæq; plenissimas Palestras, quibus se ipsum exercuit,comemorem: cum enim,vel ipse de grauissimis facultatibus responderet, vel alios respondentes ipse oppugnaret, vt peritus Palestrita illęsum, ac intactũ ab Antagonistis corpus seruabat, & oppugnando cædebat, ac fortiter aduersarios feriebat.

Superuacaneum itidem est,multa cõsectari, vt eius doctrina elucescat, cum testes habeamus nobilissimã quamq; Italiæ Vrbem, quæ (modò vel studijs, vel nobilitate floreat) Francisci opera in sacris concionibus est vsa. Ianua tùm primò Franciscum veneratur, quæ iterũ atq;

iterum iterata animorum dulcedine ab eius ore immota pependit. Florentia Franciscum peremniter plorabit, qui ppe quatuor per quatuor, singulosq; diuersos annos illius eloquentię vberrimos fontes: toto hausit pectore, nec tamen exiccauit. Quid tu Perusia, & mihi quidem gratissima Patria, & Francisco tuo, per Verbi Dei regenerationem, iucundissima filia? Quid audita eius, qui te sacro Euangelij pabulo pauit, morte? à lachrymis cessabis? tota mihi credite, in luctus ibit ciuitas illa; totę in fletus dissoluentur Bononia, Verona, Vicentia, Venetiæ, & ipsa deniq; Roma, quæ adhuc tanti viri memores, viuam in animis pręseferunt eloquentiam, in dicendo efficaciam, Venustatem, Grauitatem, ac Doctrinam. Sileo quos Patria illi sit expositura lachrimarum imbres: Quos funereos apparatus: Quos Ciuium luctus: Quos Charorum gemitus, quippequi omnes illum non modò vt Ciuem omni beneuolentię demonstratione sunt prosecuti, verùm etiam, vt Patrem, vt Doctorem, vt Pastorem, ex suggestu sunt admirati.

Et ne mentiar, Vos, vos Patres, vos Pisanos Ciues testes alloquor, qui nuper eloquentię ipsius, ipsius Doctrinæ, ipsius in rebus agendis dexteritatis, illius in vestris animis conciliandis pacibusq; ineundis solertię monimenta vidistis, memoresque funus pientes ei parentantes extrema modò exhibetis officia: Abhorrēt forte à lachrymis oculi vestri, ne virili vos fortitudine præditos esse negetis; at si corda paterent, si oculis animi subiacerent, iam iam omnia lachrymis essent plena, iam iam Corpus istud magis magisq; fletu dilutum, clariùs vestris lachrymis, quàm facibus hisce splendesceret. Splendesceret, inquam, quia si ex his rebus, quæ foris apparent, earum, quę in Animo insunt, coniectura fieri potest, ecquis est, qui non videat propter eam, quæ intus in Francisco virtutum suauitas erat, illum omnium animos in sui amorem allicere, ac propterea nunc vita functum, etiā omnium ex Oculis lacrymas elicere? Ità natus, ac factus; ità altus, atq; educatus; ità eruditus, atq; institutus est,

vt quēadmodum nēmini ſecundus ingenio, nec cuipiā probitate eſſet inferior, ità omniū lachrymis parentandus non negetur.

In viridi ętate, cana quędam maturitas inerat, vt qui eum loquentem ſenes audirent, venuſtatem mirarentur, grauitatem venerarentur. Pietatē, ac Religionē penè cum ipſius Nutricis lacte exuxiſſe videbatur, quippequi non modo ſemper illam ſtudiosè coluerit, verùm etiam omnes ad eamdem capeſſendam excitare, atque inflammare pro viribus ſtuduerit. Prudentia, Summam illi authoritatem, grauitatemq; conciliarat, adeò, vt quo vis vrgente diſcrimine, quocunq; graui ſuccedente negotio, omnes Franciſcum Vecchium deſiderarent; omnes illū depoſcerent: Hinc ſi gratia cum Maioribus, cum Principibus ineunda; inibat Franciſcus: Si inter proceres, ac Magnates negotia, eaq; maxima, pertractāda; pertractabat Franciſcus; Si Pax inter aliquos, ſimultatibus interrupta, concilianda; conciliabat Franciſcus: Si inter beneuolos, ac propinquos iurgium oriretur; tollebat Franciſcus; ſi aliorum incolumitati, ac ſaluti conſulendum; conſulebat Franciſcus: Si lites, ſi controuerſiæ, ſi concertationes componendę; componebat Franciſcus: Si cum Prēſulibus, ac Principibus de re paullò grauiore agendum; agebat Franciſcus. Quid mirum ergo, ſi tantum ſibi de Ciuibus, de Magnatibus, de Principibus gratię vindicauerit Franciſcus, vt (mille his ſimilibus monimenta relinquo) Coſmus, Coſmus ipſe Magnus Ethruriæ Dux (cuius Animam Deus det ſcandere Cælum) illum ad Epiſcopatus Cluſinum, & Craſſetanum non ſemel promouerit? Non ceſsit ex voto negotium, nō quidem ex meritorum deſiderio, ſed vel Principis promouentis, vel Patris promoti immatura morte. Cum enim de tanto Patre non ſolum iſthæc, verùm etiam longè maiora ſperanda videbantur, hîc Piſis, poſt Quadrageſimalé predicationem, Prioratus munere, degens, poſtrema infirmitate decubuit; occubuit tandem. Quòd ſi infirmitatis eius admirabilem patientiam recenſere vellem, dies me deficiet; nam vt difficile ſit ex Euripidis

ſententia

ſententia ægrotantem hominem curare, & tractare, illius tamen animi tanta æquitas erat, tanta in morbi perpeſsione conſtantia, tanta in febrium tollerantia, fortitudo, vt ſibi modeſtiam, nemini moleſtiam, omnibus admirationem attulerit. Denique vt Cycni, quid in morte boni ſit præuidentes cum cantu, ac voluptate moriuntur; ità ille rebus omnibus armatus, quæ non ſolùm Chriſtianum, verùm etiam Religioſum hominem aduerſus Hoſtium tela fortiſsimum efficiunt; ſextum, & quadrageſimum ætatis ſuę annum agens (Heu quam immaturè) bonę ſpei plenus, quam, & vitæ anteactæ conſcientia, & ſacrarum Medicinarum recens perceptio afferebant, heſterna luce, ex hac luce, luce potiturus æterna, deceſsit.

Et vos Patres, ac Ciues optimi iſthęc probè noſtis, & non ploratis? lachrymas intus in pectoribus continetis? à fletu abſtinetis? Tanti Patris funus ſiccis pupillis intuemini? Ah, iamiam mæſto ex omnium fronte, cordium męrores conſpiciuntur. Iurè quidem, Patres, qui in Heremitanum inſtituto viuitis, pręclaram de ſodalitatis veſtrę filio, Fratre, ac Patre, de vobis ipſis, lachrymis hiſce; illo funere ſignificationem exhibetis; ille quidem quantum in ſe fuit, de Parente benèmeritus eſt; Veſtri conſilij erit, velitis ne illius aliquod apud Poſteros extare Monimentum. Magna eſt laus familiæ, tanti filij extitiſſe parentem; at magnum erit dedecus eius honori, aut inuidiſſe, aut non conſuliſſe; præbuiſtis quidem Franciſco Vecchio in vita ſtudium, ac reuerentiam; in morbo obſequium, in funere pietatem; cauete ne poſt obitũ in eius laude, ac gloria, aut illiberales, aut parum ſinceri videamini. Certate cum præclariſsima Piſarum Ciuitate, quæ non exiguam doloris, ac mæſtitiæ pręſefert ſignificationem; certate cum ampliſsima tantorum Patrum, ac Ciuium corona, quæ iam pridẽ vita functo, mixtam męrori exhibet adhuc venerationem; Certate cũ illis meritis, quæ tot, tantaq; ſunt, vt cum omnia ei officia perſolueritis, longè, multùmq; infrà eius dignitatem,

ea esse fateamini: neq; enim viam lacteam cæli itâ siderum varietate distinctâ suspicimus, quantùm Magistrû Franciscum, omnium virtutum splendore, illustratum estis admirati.

Quæ quidem omnia (Auditores ornatissimi) cum longiorē requirerent Orationē, si exiliter, si breuiter admodum, si dignè minùs, quàm Francisci merita, expostulassent, tractata sunt, Vos omnes oro, atq; obtestor, vt singulari pro vestra humanitate, vel imbecillitati, vel æstiui caloris molestiæ, vel occupationibus meis, vel Temporis angustiæ ad me colligendum dati, vel naturæ defectibus (in quibus tandem nec laudamur, nec vituperamur) æquissimo animo veniam tribuatis. Eaq; ipsa, quæ admodum obsoletè tractata sunt, non eam ob causam, vt P. Magistrum Franciscum Vecchium laudarem, ac comendarem, qui veram per se laudem, & gloriam sibi viuens parauit; sed vt Patribus Heremitanis audiens dicto essem; nec nō etiam vt Religioso Viro, de Religiosis benemerito, Religiosus ipse extremum, ac Religiosum persoluerem officiū, â me in presentia dicta esse existimetis. Dixi.

LAVS DEO.



